UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt II. Contemplatio duplex, altera acquisita, altera à Deo infusa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

CAPVT I.

Quid sit Contemplatio.

CONTEMPLATIO igitur latissimè accepta, teste De Thom 2. 2. quæst. 180. art. 1. & 3. *est divinæ veritatis simplex intuitus.* Cui sententiæ subscribere videtur sanctus Bernard. *lib.* 2. De consid. cap. 2. *Contemplatio*, inquit. *est verus, certusq; intuitus animi de quacumque re, sive apprehensio veri non dubia.* & S. Augustinus lib. *de spiritu & anima*, cap. 32. *Contemplatio*, ait, *est perspicua veritatis jucunda admiratio.* Ut autem horum aliorumque Patrum varios de contemplatione dicendi modos clariùs innotescat, propositam S. Thomæ definitionem explicemus. Dicitur in primis contemplatio *simplex veritatis intuitus*, ut eam à cogitatione & meditatione discernamus. Harum trium intellectus nostri operationum discrimen erudiè annotavit venerabilis Richardus de S. Victore lib. 1. *de contempl.* cap. 3. *Ut autem, inquit, ea, quæ de contemplatione dicenda sunt, possimus commodiùs capere, rectiusq; dijudicare, debemus priùs quærere quomodo differat a cogitatione, vel meditatione. Sciendum itaque, quòd unam eamdemq; materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Multùm sanè invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quandoq; in materia conveniant. De una siquidem eademq; materia aliter cogitatio, aliter meditatio, longeq; aliter agit contemplatio. Cogitatio per devia quæque lento pede sine respectu perventionis, passim huc illucq; vagatur. Meditatio per arduæ sæpe & asperæ ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu, quocumque eam ferat impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit, & ut multùm currit; contemplatio autem omnia circumvolat, & cùm voluerit, se in summis librat. Cogitatio est sine labore & fructu: in meditatione est labor cum fructu: contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Et licet sæpè circa eamdem rem alius per cogitationem, alius per meditationem, alius per contemplationem occupetur: quamvis non disparia, disparia tamen motu ferantur. Cogitatio semper vago motu de uno ad aliud transit: meditatio circa unum aliquid perseveranter intendit: contemplatio sub uno visionis radio ad innumera se diffundit.* Deinde *cap.* 4. ita scribit: *Meditatio est providus animi obtutus in veritatis inquisitione vehementer occupatus. Cogitatio verò est improvidus animi respectus ad evagationem pronus.* Hæc ille. Posteà verò docet, cõmune esse his tribus, quòd sint animi aspectus, sive intuitus alicujus rei.

Quomodo inter se differant cogitatio, meditatio & contemplatio?

Differunt præterea meditatio & contemplatio, quia illa quærit non sine labore veritatem, contemplatio inventam penetrat ac degustat. Illa attingit solùm veritatem, hæc in veritatem oculorum obtutus sincerè defigit. Meditatio ad veritatis januas devenire solet, contemplatio verò ad interiora ingreditur. Contemplatio deinde absolutè considerata, dicitur simplex animi intuitus, ut comprehendat omne genus contemplationis, sive acquisitæ, sive infusæ: sive Christianorum, qui divina hoc fine contemplantur, ut magis eorum amore inardescant; sive Philosophorum, qui ob veritatem nudè tantùm indagandam speculantur. Nam & scimus, plures olim fuisse Gentium Philosophos, Sapientumnomen cum fastu sibi arrogantes, quorum studium non ad DEI gloriam & amorem, sed potiùs ad ad sui ipsorum vel ostentationem vel utilitatem dirigebatur. Qui non sapientes, sed insipientes, ac delusores jure censendi sunt: quia cum DEUM omnium rerum auctorem cognovissent, non sicut DEUM glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & defecerunt scrutantes scrutinio, eò quòd non potuerint invenire hoc opus, quod operatus est DEUS ab initio, revelavitque per Spiritum suum, quibus voluit, quando voluit, & quantum de his scire oportuit, ecce verè stulti facti sunt Principes Tanеos, quia stultam fecit DEUS sapientiam hujus mundi.

Aliа assignatur inter meditationem & contemplationẽ differentia?

Relicto igitur hoc vano & inflato contemplationis genere, de illo quod Christianorum proprium est, quodque Fides fundat, Spes firmat, Charitas perficit, deinceps agemus. Hæc enim (quam Christianam contemplationem appellamus) multùm sanè differt ab illa Philosophorum. Primò, Quia hi, non ut rectè pleraque operarentur, sed ut scirent dumtaxat contemplabantur: quare vana potiùs eorum speculatio, quàm vera proque dicenda est contemplatio. At verò illa Christianorum non solùm ad divinorum cognitionem, sed & ad virtutum universarum sanctionem ab his assumitur. Philosophica illa omnino speculativa est, hæc verò divina utramque, & theoriam scilicet & praxim, complectitur. Secundò, Contemplationis Philosophicæ materia est universalior; versatur enim in qualibet materia: quare Philosophia non immeritò contemplativa scientia nuncupatur. Christiana verò theoria DEUM præcipuè ut objectum suum intuetur; deinde ad ejus opera atque effectus considerandos secundariò quasi descendit, ut infrà latiùs. Tertiò, Contemplatio Christiana altissimam Fidei cognitionem supponit, in eaque tamquam solidissima petra fundatur; Spem etiam comitem habet, at Charitatem, ut sui principium, finemq; ne agnoscit: incipit enim à vero pulchro, divinæ bonitatis amore, iterumq; ne ad illum augendum consummandumq; ne terminatur, ut egregiè docuit S. Thomas 2. 2. q. 180. art. 7. *Vita*, inquit, *contemplativa propriè consistit in contemplatione DEI, ad quam movet charitas.* Et: *Licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum aliquis ex charitate ad DEI contemplationem excitatur.*

Huic etiam consonat sententiæ Albertus Magnus, qui lib. *de adhærendo Deo* ita scribit. *Animadvertendum est etiam in hoc differentiam esse inter contemplationem Catholicorum fidelium, & Philosophorum gentilium: quia contemplatio Philosophorum est propter perfectionem contemplantis, & ideò sistit in intellectu, & ita finis eorum in hoc est cognito intellectus: sed contemplatio Sanctorum, quæ est Catholicorum, est propter amorem ipsius scilicet contemplati Dei, idcirco non sistit in fine ultimo in intellectu per cognitionem, sed transit ad affectum per amorem. Unde Sancti in contemplatione sua habent amorem DEI tamquam principaliter intentum: quia felicius est etiam Dominam IESVM Christum cognoscere, & habere spiritualiter per gratiam, quàm sine gratia corporaliter, vel etiam essentialiter.*

CAPVT II.

Contemplatio duplex, altera acquisita, altera à Deo infusa.

DE ea tantùm contemplatione loquimur, quæ propria est Christianorum, ac Fidem præsupponit,

ponit, quæ quantum ad præsens attinet propositum, in duas species congruè dividitur: altera cõtemplatio *acquisita*, altera quæ *infusa* jure nuncupatur. Sicut enim virtus genus quoddã est ad virtutem infusam, quam DEUS (Augustino teste, quẽ sequitur S. Thomas 1. 2. q. 54. art. 4. & 6.) in nobis sine nobis operatur; & acquisitam, quam nos propria industria, non tamen sine divino auxilio, comparare possumus: ita & contemplatio Christiana, quæ Fidem & Charitatẽ præsupponit, non immeritò in acquisitam & infusam distribuitur. *Acquisitam* eam nuncupamus, quam industria & exercitatione propria, non tamen sine divina cooperatione & gratia, acquirimus: *Infusam* verò, quę ex sola gratia sive inspiratione divina promanat.

Quæ dicatur infusa, & quæ acquisita contemplatio?

Sed si divisionem hanc altiùs consideremus, ex sublimiori principio, saltem quantum ad operandi modum, depromenda videtur hæc contemplationis distinctio: pro qua illud est præmittendum, modum operandi virtutum etiam infusarum, esse diversum ab operandi modo donorum Spiritus sancti: virtutes enim etiam infusæ humano modo operantur, dona verò supra modum humanum, ut luculenter docet D. Thom. 2. *Sent. distinct.* 34. *quæst.* 1. *art.* 2. dicens: *In his autem, quæ super rationem sunt, perficit Fides, quæ est inspectio divinorum in speculo & in ænigmate: connaturalis enim modus est naturæ humanæ, ut DEUM non nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata similitudinum percipiat. Quòd autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est, & hoc facit donum intellectus.* Hæc ille.

Consulendus noster. Balthasar à S. Catharina Opere Italicè inscripto *Splendori risplesti di sapienza celeste Vibrati da Gloriosi Gerarchi Tomaso d' Aquino, e Teresa di Giesu sopra il castello interiore, e mistico Giardino metafore della santa mansione 4. c. 3. Reflexione 4. V. bi inter alios è nostris citat. Iosephum à Iesu-Maria Tom. 5 Ascensus*

Quæ quidem doctrina passim ab eodem divino Doctore edocetur: ex qua facilè constat, aliam esse contemplationem, quam Spiritus sanctꝰ divino & supernaturali modo in nobis operatur, ab aliquo inquam ex septem donis, vel gratia aliqua gratis data profluentem: (operatio enim Spiritus sancti, quæ mediis donis contingit, ita est divina & supernaturalis, ut humana ratio, etiam gratia & charitate prædita, pertingere non valeat:) aliam, quæ humano modo, id est, per discursum rationis, etiã cooperante gratia, aliisque virtutibus supernaturalibus procedit, quæ etiam in suo sensu supernaturalis meritò posset appellari. Sed quia ratio humana, etiam virtutibus Theologicis informata, humano modo movetur, nempe per discursum, ac naturaliter, & in ordinem ad finem supernaturalem moveatur; tamen quantum ad nostrum attinet propositum, non dicitur contemplatio supernaturalis & infusa; quia ut apiè docuit D. Tho. *art.* 2. ut supra, non sufficit ipsa motio rationis, virtutibus infusis adhuc adjuta, ad hoc ut supra modum humanum, & divino modo quis ad divinorum assurgat intuitionem, nisi desuper adsit instinctus, & motio Spiritus sancti, secundùm illud Ro. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt, & hæredes.* Clarius forsan & plenius Richard. de S. Victore *lib.* 5. *cap.* 1. & 2. contemplationis genera, quibus in contemplatione proficimus, distinxit. *Aliquando* (inquit cap. 1.) *ex sola gratia, aliquando ex adjuncta industria.* adducitque exemplum Moysis & Beseleel, quorum primus Arcam in monte & nube, sine ullo industriæ labore, ex sola Domini revelatione vidit; Beseleel verò quam videre etiam potuit si DEUS illi revelasset, proprio tamen labore formavit. *In morem,* inquit, *Moysi Arcam Domini sine aliqua humana industria videmus, cùm ex sola Domini revelatione radium cõtemplationis accipimus: sed tunc quasi juxta Beseleel exemplum in id ipsum, ex proprio opere proficimus, cùm in eamdem gratiam nostro studio & labore artem comparamus. Sed quod industriæ operatione dicimus, non sic accipi volumus, quasi sine gratiæ comparatione aliquid omnino possimus, cùm quælibet industria nostra non sit nisi ex gratia: sed aliud est contemplationis gratiam divinitus percipere, atque aliud est de ejusmodi dono DEI quidem cooperatione proprio exercitio comparare.* Hæc Richardus.

animæ *lib.* 1. *ca.* 21.

Præterea idem Richard. *cap.* 2. tribus modis contemplationem contigere docuit. Primus surgit ex industria humana, quod ait contingere mentis dilatatione. Secundus ex utriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ, & gratiæ divinæ; quod, ille inquit, fit mentis sublevatione. Tertius ex sola gratia divina, id est, mentis alienatione. *Hos igitur,* inquit, *contemplationis modos experiuntur, qui usque ad summam ejusmodi gratiæ arcem sublevari merentur. Primus surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia divina, medius autẽ ex utriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ, & gratiæ divinæ. In primo gradu quasi Arcam nostro labore fabricamus, quando contemplandi artem nostro studio & industria comparamus. In secundo gradu, Arca supportantium humeris sublevatur, & quasi præcedentis nubis vestigia sequitur, cum industria satagente, & revelationis gratia cooperante, & quasi præeunte, contemplationis radius dilatatur. In tertio gradu Arca in Sancta sanctorum infertur, & quasi intra velum collocatur, quando contemplantis acumẽ ad intimum mentis sinum colligitur, & ab exteriorum memoria, oblivionis & alienationis velo secluditur.* Hæc Richardus. Contemplatio igitur, ut ex dictis, (ac specialiter ex doctrina Dionysii Carthusiani in *Tractat. de contemplatione*) duplici via, sive modo exercetur.

Tres contemplationis modi traduntur à Richardo.

Primò regulariter & communiter per rationis usum & discursum, & hæc contemplatio *rationalis* sive *acquisita* dicitur, cujus complementum, decor, & forma debet esse dilectio DEI: unde debet habere secum conjunctos divinæ charitatis actus tam internos, quàm externos, quales sunt de DEI bonitate, ceterisque ejus perfectionibus gaudere, ad DEUM fervidè affici, ex ejus amore de peccatis compungi, orare pro extirpatione vitiorum, in quantum sunt impedimenta contemplationis, & pro gratia acquirendi contemplationem, Passionem Christi affectuosè & compassivè recordari. Præclarissimum insuper contemplativæ hujus vitæ opus est hymnis, psalmis, seu laudibus Creatoris pura mente insistere: hoc enim dæmones fugat, desideratam gratiam affluenter meretur, & vitæ cælestis præludium est.

Duo à Dionysio Carthus.

Alius modus contemplandi est *supernaturalis & mysticus*, qui à Spiritu sancto desuper radiante, cælitùs animæ infunditur, Deo supernaturaliter mentem tangente, illustrante, ac ungente. In qua contemplatione mens humana se habet Angelico modo, veritatem conspiciens simplici apprehensione & intuitu, & cæliformi conspectu, sine rationis discursu. Cùm enim ipsa creatrix Sapientia (cujus potestas est infinita) veritatem docet, nulla est in addiscendo mora, nec opus est rationis discursu.

Hæc verò contemplationum genera exemplo navis apiè possunt explicari. Aliquando enim propria industria & labore, apprehensis remis; aliquando expansis velis, flantibus ventis, sine ullo nostro labore prosperè navigamus; aliquando tamen & remis & velis mutuò se adjuvantibus maria sulcamus. Prima contemplatio tota nostro exercitio & industriæ innititur, non tamen sine divinæ gratiæ cooperatione: secunda

quasi tota divinæ gratiæ, non tamen sine nostra operatione & consensu, adscribitur: tertia deniq; ex utraque consurgit. Prima congruè contemplatio *acquisita* dicitur; secunda *purè infusa* nuncupatur; tertia verò *mixta* ex utraque videtur, potest tamen ad infusam reduci. Primam mentis dilatatione, secundam mentis alienatione, tertiam verò mentis sublevatione contingere, Richardus latissimè declaravit, ut suprà.

Nullam præterea esse contemplationem nostra industria acquisitam, quæ non etiam divino & supernaturali modo possit contingere, & è contrà, eruditè docuit Richardus *lib. 4. de contempl. cap. 22.* his verbis: *Quòd autem hæc omnia contemplationum genera* (distribuit enim Richardus in sex gradus, omnes contemplationis tam acquisitæ quàm infusæ species) *possint per ecstasim cerni, mystico Moysi exemplo tenemus: quòd verò sine ullo mentis excessu possint in contemplationem adduci, ex typico illo Beseleel opere habemus. Vt enim Moyses Arcam & utrumque Cherubim ex divina revelatione videre potuisset, montem ascendit, nebulam subintravit: ut autem Beseleel mysticum illud opus operaretur & intueretur, nec montem nec nebulam quæsisse vel subisse legitur. Quid est autem montem subire, nisi secundùm Propheticam sententiam ad cor altum ascendere? Ejusmodi verò montem nubes tunc tegit, quando exteriorum omnium memoria menti excidit. In hoc monte Moyses sex diebus moratur, & in septimo de medio nubis ad Domini colloquium vocatur. Sex diebus (ut notum est) opera nostra peragimus, & in septimo requiescimus. Quasi sex ergo dies transigimus in hoc monte, quando cum multo labore magnaq; animi industria in ejusmodi sublimitatis statu assuescimus diutiùs permanere. Tunc autem quasi ad septimum diem venitur, quando tanta mentis sublevatio menti in oblectamentum vertitur, & sine ullo labore subitur.*

Et paulò infrà: *Hoc est quod superiùs jam dixi, quia ad quodlibet contemplationum genus pertinentia possunt Domino revelante per mentis excessum videri. Sed ex Beseleel opere nihilominùs potest perpendi, quia qualibet horum absque ullo mentis excessu possunt & solent in contemplationem adduci. Quid enim, quæso, est Arcam fabricare, aut vestire, coronaque cingere, Propitiatorio tegere, Cherubim adjungere, nisi gradatim quidem in dicta contemplationum genera artem comparare, & multo studio atque labore alia post alia addiscere, & in usum adducere, & tandem aliquando opus consummare, & ad ultimum in omnibus perfectum esse? Sed ut de Arca taceam, quid vel de ipsis Cherubim dicam? Numquid ut eos formaret, vel formatos videret, legitur vel montem ascendisse, vel nubem intrasse? Vnde & manifestè datur intelligi, quia & illa novissima duo contemplationum genera, quibus quasi proprium esse videtur per mentis excessum exerceri, solent tamen quandoque infra humanæ comprehensibilitatis metas cohiberi. Omnia contemplationum genera possunt modo utroque fieri: & modò per mentis excessum, modò sine aliquo mentis excessu solent exerceri.* hæc Richardus. De utraque igitur contemplationis specie aspirante DEO disseremus, præcipuè tamen de ea, quæ supernaturalis est & infusa, sermonem instituemus, de acquisita verò breviter, de qua plenissimè hujus temporis Auctores scripserunt.

CAPVT III.

Contemplatio acquisita quid sit, & quòd à meditatione oriatur.

EST autem, ut à definitione exordiamur, acquisita contemplatio, *summæ Deitatis atque effectuum ejus affectuosa & sincera cognitio, nostrâ industriâ comparata.* Breviter definitionem aperiam. Inprimis circa *summæ Deitatis* cognitionem acquisita & Christiana contemplatio potissimùm versatur, secundariò verò circa creata omnia, prout à Deo omnium rerum fonte profluunt, vel ad ipsius perfectiones increatas tamquam in speculo fulgentes assurgimus contemplandas: unde quidquid in creaturis contemplatio intuetur, ad Omnipotentis notitiam, amorem, gloriam, & honorem refertur, qui fabricam Vniversi idcircò tam pulchrè tamque sapienter decoravit atque distinxit, tanta creaturarum magnitudine, multitudine, & virtute mirificè complevit, ut DEI in eis bonitas, sapientia, & potestas mirè resplendeant, honorentur, laudentur, formidentur, ac diligantur, ut inferiùs plenius ostendemus.

Vide 2. part. Theol. myst. post. Philippi Trast. 1. Discurs. art. 2. Et Antonium Sandæum supra citat. loc. 7.

Dicitur præterea *affectuosa*, quia contemplatio Christiana causam habet in voluntate, nimirum amorem DEI, quo ad contemplandum DEI essentiam & bonitatem, ceteraque attributa accendimur: & quamvis essentia contemplationis ab intellectu tamquam à proprio fonte dimanet, tamen effectum in voluntate reponit amorem, videlicet Deitatis; quia quòd DEUM perfectiùs cognoscimus, perfectiùs quoque amamus. Vnde D. Thomas 2. 2. *quæst. 180. art. 1. & 7.* docuit, contemplationem perfectam (id est Christianam) procedere ex charitate ipsius Dei; & *eod. etiam art. 7. illius quæst.* sortiti etiam pro effectu censet perfectiorem amorem qui ad illam supponatur; afferque illud Gregorii *Homil. 14. in Ezechiel.* dicentis, *quòd cùm quis ipsum quem amat videre, in amorem ipsius amplius ignescit.*

Hæc igitur omnia quæ de contemplatione diximus, convenire etiam possunt contemplationi infusæ, ut inferiùs dicemus: nec enim in hoc ulla est inter has species discriminis ratio; in eo verò quamplurimùm distant, quòd acquisita contemplatio nostro labore & industria comparatur, infusa verò à DEO sine labore nobis liberalissimè infunditur. Quare consultò in definitione additur, *nostrâ industriâ comparata*: nam si contemplationis acquisitæ naturam consideres, facilè invenies, contemplationis initium esse laborem sive industriam: est enim meditatio contemplationis parens, eamq; ordinariè generat, & in hunc finem tamquam in terminum proprium intendit. Docuit hoc olim Basilius *Homil. 3.* in verba illa Moysis, *Attende tibi*; ubi exactam sui ipsius meditationem, Dei eximiam contemplationem generare ait.

De eadem re egregiè D. Bonaventura, secutus Richardum à S. Victore, de *itineribus æternitatis, itin. 3. dist. 1. Planum est*, inquit, *quòd spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur, quod per meditationem quærebatur. Sed quam citò quæsitum invenitur, & spiritus illi quasi acquiescendo cum admiratione inhærere cœperit; tam citò meditatio esse definit, & in contemplationem transit,* ait Richardus. *Per meditationem veritatem diu quæsitam, tandemq; inventam, mens solet cum aviditate suscipere, mirari cum exultatione, ejusdem quoque admirationi diutiùs inhærere. Et hoc est jam meditatione meditando excedere, & per meditationem in contemplationem transire.*

Idem quoque Richard. *de præparat. ad contempl. cap. ult.* Toties ergo Ioseph, inquit, *super collum Benjamin ruit, quoties meditatio in contemplationem desinit; tunc Benjamin fratrem suum super se ruentem excipit, quando ad studium meditationis ani-*

mus